

Author: Mersenne, Marin

Title: Ioanni Baptistae Donio Viro Clarissimo Marinus Mersennus

Editor: Massimo Redaelli

Source: Florence, Biblioteca Marucelliana, MS A.290, f.<1r>-<2v>

[<f.1r>-] [1646 in marg.] Ioanni Baptistae Donio Viro Clarissimo Marinus Mersennus

Quanta me voluptate perfuderint, Vir Clarissime, litterae novissimae, uix est ut explicare possim: quae dubitare nolim quoties in mentem mihi recurrerint pro tanti viri de ueteri musica benemeriti vultus, nomen, domus, et opera praeclara, quae quolibet auro libentissime redimerim, si quando, dum vixero, in publicum proderint. Tandem, ut video, una Florentia nobis Musicam veterem restituet, si Deus viri mihi carissimi vitam producet, quem maxime gaudeo librum scripsisse, ut ex titulo conspicio [concipio ante corr.], ut omnes Litterati post libri lectionem, ut par fuerit, auctori suo referant. Perge, summe Vir, in perficiendis Musarum diligentissimis aedibus, dum etiam nostri laborant, et tuam spartam exornant cum in universali Historia, quae IV. Voluminibus Galliae imprimitur, tum in edendis XXIV. Voluminibus omnem veram Philosophiam, et Mathematica non litterarum humaniorum artificia exhibentur, ubi omnia conuenire, quoad fieri poterit, demonstrabitur.

Porro non significas an illi tui Dialogi de nova vetere Musica sint multum promoti, an [vel add. supra lin.] solum [<f.1v>-] a paucis diebus praclum exercent; quippe quos utinam uel hodie manibus tenerem, et contemplarem. Sed ueeor ut totus annus ante perfectam editionem abeat. Num quid etiam urgebit vestra dominatio magnum uestrum Torricellium, ut uaria quae mente gerit, et forte scripsit, tandem promat? Nobis certe propemodum miraculo est stupendum illius ingenium, quem etiam, si non sit importunum ac difficile, meo nomine plurimum salutari velim.

Quod ad varia mundi systemata, in quibus omnium optime habitus nobis videtur, laborat Robsouellus noster in tuo, quem dedi vestrae dominationi Aristarcho. Bovilbaldus uero iam totus vester est, quique degit Vinctiis apud bratorem nostrum Grainmon villieux, scribitque se Constantinopolim uelle proficisci, ut brientales uultus et gentes videat. Miror quod romae illius librum meum in folio de Armonia a duobus annis post tuum Philolaum nondum videritis; ut forte pauca uel nulla post istud opus postulare contingit.

Est etiam unus Cappucinus Antonius Rista, qui novum systema edidit Antuerpiae in folio [<f.2r>-] hoc anno nec forte deerunt alii, qui condunt alia, uti facit noster Gassendus de nouo Regius Matheseos in Regali Collegio Professor, qui systemata varia, ut et alii qui hic Mathematicas docent, explicet. Primum illud folium, quod habet libri vestri frontispicium nostris curiosis Harmonica diligentibus, ut nouas amoris scintillas in istius facultatis auctores concipiant.

Cum uero nouerim uos ambo nempe Dominus Torricellus et te tantum esse amicos ut uidemini cor unum et anima una, vixque possit uno ab alio diuelli, quae sequuntur, sint, amabo, illius; quandoquidem illum in lectione iuuebis. Perlege igitur, si placet epistolam in altera sequenti pagina positam Domino Torricello, ne forte minus possit meum characterem consulere.

Matriti anno MDCXLVI.

Notae Paucissima et quidem difficulter potui ex Lectione Epistolae ad dominum Torricellium; adeo pessime scribit dominus Mersennus; quamvis in alia epistula ad donium scriptam dicat: Spero te facile hac vice meam epistulam lecturum, ob calamum melius solito paratum; si tamen adhuc in his meis characteribus laboras, [<f.2v>-] ubi monueris, ab alia manu elegantiore transcribi curabo. Sed etsi Dominus Torricellus tua indiget opera ad meam ad eum legendam epistolam, tuam quaeso opem ei amice commodes.

Fateor neque me, neque alios amicos tam recte et accurate alias tres Mersenni Epistolas, et illam ad Torricellium scriptam cum figuris [[ma]] Geometricis et litteris et numerosis exscribere feliciter potuisse, ut sensus et mens eius erueretur.